

QR. 274, 14.

Z e
6052

GRATULATORIA
AD
PLURIMUM REVERENDUM, AMPLISSI-
MUM EXCELLENTISSIMUMQUE
VIRUM
DOMINUM
SEBASTIANUM

X 2124908

Gottfried Starcken /

SS. Theologiæ Doctorem celeberrimum, Pasto-
rem ac Superintendentem Diœceseos Frei-
bergensis spectatissimum,
Agnatum mustulentum,
Patronum devenerandum,

scripta

Ipsa Nominali festivitate, die XX. Januar.
Anno M DC LIV.

à

M. JOHANNE FRIDERICO Starcken / Dresd.
SS. Theol. Stud.

FREIBERGÆ,
CHARACTERE BEUTHERIANO.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(BALE)





FELICITATEM PERENNANTEM!

Non tam gratus esse potest, Vir Excellentis-
sime, humor ille Cicadis, quem serenâ nocte
astra destillant, nec tam suavis mellito Me-
lissarum exercitui suave-olens thymus, quàm mihi ho-
dierni diei festivitas, quâ Tua Onomasteria, annuen-
te Divina benignitate celebramus hilariter. O letum
& caridum, & meliore non tantùm, quod dicitur, la-
pide, sed unionibus ac gemmis memoria nostra inscri-
bendum & commendandum diem! Nam quod in præ-
sentem usq; horam Te salvum & sospitem intuemur &
cernimus, id solius DEI inenarrabili bonitati atq; cle-
mentia imputandum, & gratâ mente à quolibet bono
deprecandum est. Meritò igitur faustis ominibus
nunc universi fremunt, omnes laxant gaudio animos,
& singuli resolvunt ora festis acclamationibus. Hinc
iure tot undiq; advolant gratulationes, quæ instar do-
cumentisunt, vix alium feliciorum ac lætiorum afful-
sisse diem, quàm hunc ipsum, qui hodiè illuxit felicis-
simè. Hic dies facit, ut & ego inter tot concatenatos
applausus sine gaudio & mentis quodam tripudio so-
lus tacere nequeam, incertus, utrumne Tibi ipsi de Te,
an nobis potius gratulari oporteat. Hic dies etiam cau-
sa est,

sa est, ut literas hasce qualesquales, nullò quidem pur-
purissò tinctas, animò tamen sincerò profectas ad Te
ablegem. Olim quidem publico, eoque literato aliquem
compellare alloquio, res erat summè preciosa & rara,
sed hodieque, ut seculum est, maximè vulgaris & peri-
culosa. Periculosa, inquam, cum ei, quem seu dedica-
tione seu gratulatione compellas: tum illi, qui libellum
aut vinctum offert, aut solutum. Interim verus allo-
quiorum publicorum usus nondum est sublatus, nempe
ut Benefactores & benefacta, Doctrina & Doctus,
charta anui inscripta, Fame commendentur nun-
quam canescenti. Et is mihi unice scopus fuit. Semper
pro incolumitate atque salute Patronorum & Everge-
tarum instituitur gratulatio merito, & nuncupantur
vota ac preces Auctori rerum, ut Boni tanti possessio-
nem propriam nobis atque perpetuam esse sinat. Quod
si itaque omni tempore hoc observatum fuit, quidni illa
die id religiosissime observari par est, quàm primam
usuram vitæ naturalis incipimus, & in sacro baptisma-
tis fonte nomina nobis imponuntur? Ab ipsis mundi na-
scentis primordiis in id homines laborarunt, (quan-
doque etiam plus quàm civiliter) ut diem non tam Nata-
lem, quàm Nominalem dignis atque solennibus cerimo-
niis celebrarent, & Suis bona verba (sic antiquitus lo-
quebantur) dicerent. Profectò parens noster commu-
nis Adamus, festum instituisse & observasse creditur
diei Natalis uniuscuiusque filiorum suorum, in quo sin-
gulis

gulis annis ipse pro filiis, & quisq; eorum pro se offere-
bant Deo sacrificia. Idq; iusti heredes literarum an-
tiquarum colligunt ex iis verbis, quæ Dei Cancellarius
ac mundi nascentis Historicus, Moses, consignavit, &
in libro generationum cap. IV. v. 3. sic leguntur: Fuit
autem post multos dies, ut adduceret Cain de fru-
ctu terræ oblationem ipsi Jehovæ. Hebel quoque
ipse etiam adduxit de primogenitis gregis sui, & de
adipibus eorum. Ubi Interpretum eruditissimi rectè
& sapienter dies pro anno accipiunt, voluntq; singulis
annis certò & statutò tempore fratres istos munus su-
um ad certum locum, qui cultui divino publico destina-
tus esset, attulisse, ut ista annua solennitas, quâ die na-
tali ad colendum Deum publicè conveniebant, hac lo-
cutione denotetur. Atq; de die ejuscemodi natali etiam
intelligunt illam per ordinem uniuscujusq; diei sacrifi-
ciorum & conviviorum filiorum Jobi celebritatem,
cum dicitur: Ibant autem filii ejus & faciebant con-
vivium in domo cujusque die suo, mittebantq; &
vocabant tres sorores suas, ut comederent & bibe-
rent secum, Job. 1, 4. Et verba, quæ capite eodem, v. 6.
extant: Quâdam autem die venerunt filii Dei, ut
astarent coram Jehova, de hominibus, qui ob pieta-
tem & splendorem nominum insignem filii Dei fuerunt
appellati, ac die quâdam natali in loco sacratissimo co-
ram Deo apparuerunt, eumq; pro more oblationibus
& sacrificiis celebrarunt, veniunt intelligenda.

Hic

Hic erat mos, Vir Amplissime, à populo sancto observatus, cum recurrentes Natalium radios intentius observarent atq; contemplarentur. Parili ferè modo Pagani diem Natalem non sine facundà animi letitià & multo Conviviorum apparatu decurrebant, Deosq; natales, quales Viri Genium, & Fœminæ Junonem habuerunt, certò cerimoniarum & sacrificiorum genere colebant. Eo ipso die omnia hilaritatis plena erant, vacabant à litibus & opere servili, thus, merum, flores Genio offerebant, ludis, epulis, omniq; festo apparatu cultuq; corporis hunc diem prosequerentur. Quod mecum testantur, qui antiquitatis vel mediocriter sunt periti. Horum rituum magnus numerus acervari posset, nisi brevitatis essemus studiosi. Norunt omnes pervulgata illa Plauti in Pseudolo verba, ubi Leno ad suos Lorarios:

Tibi hoc precipio, ut niteant ades: habes quod facias, propera,
abi intrò,

Tu esto lectisterniator, tu argentum eluito, idem extruito.

Hec cum ego à foro revertar, facite, ut offendam parata,

Vorsa, sparsa, tersa, strata, lautaq; coctaq; omnia ut sint.

Nam mihi hodie Natalis dies est, decet eum omnes vos celebrare.

Pernam, callum, glandium, sumen, facito in aqua jaceant.

Satin' audis?

Magnificè volo enim summos viros accipere, ut mihi rem esse
reantur.

Idem de die natali habet Persius, quippe elegantissimè
cantans:

Hunc,

Hunc, Macrine, diem numera meliore lapillo,
Quitibi labentes apponit candidus annos:
Funde merum Genio.

Quibus cum quoque consentit Tibullus, cujus verba, cum morem natalitia celebrandi apud gentes satis superque determinent, transcribere non piget. Ita autem scitissime canit:

Dicamus bona verba, venit natalis ad auras,
quisquis ades lingua vir mulierque fave.
Urantur pia thura focus, urantur odores,
quos tener à terra divite mittit Arabs.
Ipse suos Genius adsit visurus honores,
cui decorent sanctas florea ferta comas.
Illius è puro distillent tempora nardo,
atque satur libo sit, made atque mero.

Omnes hi in eo conveniunt, quòd Veteres diem Natalem gaudiis variis, conviviiis & canticis votivis exceperint. Unde & Genius ipsis erat Deorum filius, & parens hominum, ex quo homines gignantur, & propterea Genius hominum nominetur, quia eos genuerit.

Hoc more prisco motus & Ego, Vir Excellentissime, & imprimis meritorum Tuorum in me planè eximiorum axioma percussus, hoc quicquid est scripti in hac Onomasteriorum festivitate offero, veneranter obsecrans, ut animi potius consecrantis intentionem, quàm scripti aestimationem spectare, adeoque serenà fronte munusculum hoc votivum suscipere digneris. Tenuè munus fateor, & quòd nullam partem sit gratia exsolvenda; sed spero Te facturum, quòd benigni Creditores solent, ut hanc quasi particulam soluti debiti tantisper sustenteris, dum meliore proventus sortem ipsam cum usuris dependam. Gens Ethnicorum cæca Jæois Ἰεθλοῖς, teste Herodoto, integros boves, camelos, equos, asinos, in fornacibusustos, consecrabat. Ab hac idololatria nefanda ac superstitione Ethnica discedimus longissime, & duntaxat eos
imi-

*imitamur ritus, q̄v̄i nos, q̄v̄i nomen à nomine Christi ducimus,
decent quàm maximè. Itaq; Tibi, Vir Magne, consecro liboq; nihil
nisi mentem gratissimam & observantiam perpetuam. Præpri-
mis autem benignum Numen intimis animi suspiriis invoco, ut
Tuam Excellentiam sub remigio alarum suæ potentie, sub cœle-
sti stillicidio manantis gratie asserat ac protegat, animi corporisq;
vires fulciat, ac rerum optabilium omnium affluentia largissimè
donet ac reficiat, quò hunc Nominalem & plurimos alios quàm
felicissimos agas, æternaque laude florentem virtutis tuæ glo-
riam, & incolumis & fortis aliis super alia operibus augeas.*

*Cùm verò nulla efficacior alia ratio, invitandi ad ulterio-
rem beneficentiam aliquem, quàm si pro iis, quæ hæcenus benefi-
cia accepimus, fuerimus grati, oportet certè nos isti negotio eò
majore industria & studio incumbere, quò luculentiores fructus
inde habemus percipere. Eapropter ad Divinam Clementiam, cui
soli sacrificia debemus, preces meas calidissimas, tanquam thura
odoratissima, effundo, & totà mente tali ad Deum votò claudò:*

*DEUS Trine, æterne, immortalis, bonorum Conser-
vator Optime Maxime, audi volens propitiusq; nostra vota, &
constanter serva ac sospita PATRONUM nostrum, ut sæpiusculè
hanc Nominalem festivitatem celebrare contingat, utq; læ-
tior semper recurrat, illiusq; ortu ita gaudeamus, ut nunquam
audire velimus interitum. Sic nos vicissim tremendæ Tuæ
Majestati laudem, gratias, cultum in Te, toto corde, toto affe-
ctu, tota mente æternum servabimus. Exaudi, qui iniquitas
Cherubim, annue, qui es thronus gratiæ, obsigna, qui es pi-
gnus fidei, Spiritus veritatis, DEUS une, DEUS æterne, DEUS
immortalis! FIAT!*

*Vale feliciter! Dab. Freiberga, ipso die FABIANO
SEBASTIANO sacro, Anni recuperatæ gratiæ 1654.*

*M. J. F. Starck.
Mira-*

Ze 6052 OK

Mirabar, quidnam missos post aëre nimbos
mox fieret pulso clarior imbre dies.
Nempe meus Genitor solemnia festa celebrat,
Curarum vacuum jam decet esse diem.
En Onomasma Patris lucet. Felicibus, opto,
auspiciis servent hunc mihi fata diem.
Tu mihi festa dies multos celebranda per annos
sepè mihi ac Patri post veneranda redi.
Quò fiat, duplices palmas ad sidera tendam,
atque rogem summum supplice corde Deum.
Ut Patri elapsis se Patrem indulset in annis:
sic & perpetuò se probet esse PATREM!

Pauculis hisce

Mellitissimo Dn. Parenti

gratatur

Filius obsequentissimus

CHRISTOPHORUS HEINRICUS Starck.

F I N I S.



107

315

QR. 274, 14

GRA

PLURIMUM R
MUM EXC

SEBAS

Gottf

SS. Theologiae Do

rem ac Superi

berge

Agnat

Patro

Ipsa Nomina

M. JOHANNES F

FR

CHARAC

Z e
6052

24908

BIBLIOTHEK
ALLE
LE

